

pueritiae ad præsentem ætatem, nunquam sum usus pharmacis, præservandi causâ, ex vegetabilium, nedum mineralium classe depromptis, quoties attentavi usurpare cordialia præservativa, deterius sensi. Olim exiguum Theriacæ singulis matutinis sumpli, & jam per aliquot annos, modicum aquæ Juniperinæ, ad auram malignam avertendam. Exin conjicio, Naturam meam ita temperatam, ut alienæ, aut exorbitantis qualitatibus media non ferat.

Unicum adhuc subjiciendum haud abs re duxi, cum Philippus Grulingius quandam Panaceam ex vario ac multipli vegetabilium & mineralium classe paratam, adversus omnis generis morbos, mirè deprædicet, cuius viam divinam in morbis desperatis, se vel millies expertum asseveret: si tantum illa virium, miror, cum Author ille nuper cen-

turiam observationum in lucem emiserit, quod ne unicus casus reperiatur, illius exhibitæ, quin palato ingrata occurrant medicamenta, an non inhumanitatis opus, ægros tam insuavibus & majori quantitate ingestis, exagitare, si in Medici manu, tam benigna Panacea, & quidem tam pusilla, septem tantum granorum dosi, morbos curare. Panaceam illam in multis morbis profligandis admodum proficuum, libenti animo concedo, sed mens stupet, quod illa neglecta, infirmi variâ ingratiss. ingredientium farragine fuerint tractati. An non ex in ansa captanda hastandi, utrum illius catholici tanto perè laudati efficacia, congruat cum Experienciam. Si indubium catholicum desideras, propono mortem, quæ omnibus malis & incommodeis certam medelam defert, ultimum colophonem imponens.

EPISTOLA VI.

Utrum facultates animales Principes in cerebro residentes locis ac sedibus sint distinctæ, ad quendam Medicum.



Um olim D. Augustinus varia *Contra S. Hieronymo* tum sene-
scenti, & in cœnobio Bethlehemito delite-
scenti, proposuisset discutienda, tan-
dem id dedit responsi: ne se jam ve-
teranum quiescentem rursus milita-
re, & de vita periclitari cogat, sed in-

ter suos Monachos susurrare sinat:
num & mihi jam grandævo idem
prætendere licet, dum diversarum
quæstionum nodos, non Alexandri
gladio dissecandos, sed Rationis ra-
dio resolvendos proponis: ast cum
amicè roganti refragari, haud æ-
quum statuam, en responsoriam,
utinam ex tuo voto. Cum summa-

res Medici, Magirus & Sennertus, sibi è diametro oppositi, quorum ille affirmantis, hic verò negantis partem sustineat & defendat, se arbitrum interponere, haud vacat pericolo, præsertim in grandiori hac septuagenaria ætate, quæ videtur minus disposita, ad istas *ἀργενούσις* ac tricas, solvendas: sed experiar, quid valeant humeri.

Utrum tres facultates animales in cerebro suā munia obeuntes, locis sint disjunctæ, ut Phantasia in antero, Ratiocinatio in media, memoria in posticā parte suas operationes edat. Controversia illa tam est inversa, tanta opinionum fluctibus operta, ut se exin expedire, haud obvium.

Arabes quidem, inter eos Avicenna & Averrhoes: inter Græcos Aëtius, assistunt parti affirmanti, de Galeno est dubium, quod inclinet, eum in ejus operibus nullus extet luculentus contextus, cui sententia adharet. Lib. 4. loc. aff. c. 2. exemplo phreneticorum demonstrat, alios phantasiam salvā, cogitatione aberrare, alios integrā cogitatione, falli memoriam, alios utramque facultatem habere corruptam: proponit easum phrenetici Romani, in custodiā detenti, qui in cubiculo ad fenestrā accedens, conspicatus homines in plateā stantes, percontatus est, num vasā vitrea projicienda? illis annuentibus, ea dejicit: post etiam

puerum ostendens, interrogavit, num & is dejiciendus? illis affirmantibus, illicò eum deturbavit. Sed contrariam affectionem in seipso expertus est Galenus, cum in æstate, febri ardente correptus, festucas atro colore è cubili eminere, & floccos in vestibus hærere putans, eos auferre tentans, nihil autem sub digitis educetum deprehendens, majori conatu id efficere tentavit, audiens ex amicis præsentibus ac missantibus, videtisne hunc jam & floccos eveltere, & festucas colligere, statim animadvertisit, se id fecisse: cum autem sic animo constaret, ut rationalis facultas non vacillaret, rectè inquit dixistis, proin ne phrenitis me corripiat, auxilio estote. Etsi exin liquido apparet, Galenum statuere, interdum phantasiam, nonnunquam cogitativam seorsim, sepius utramque facultatem simul depravari, exin tamen inferri non potest, eas sedibus disclusas. Sed Hieronymus Mercurialis *πελνθεύματα* ille Medicus velut gravissimum Galeni testimonium adducit ex comment. 1. text. 27. in Porthet. Hipp. dum scribit: frequentes in phreneticis mutationes, indicare convulsionem, & Galenus istum exponens locum, inquit: permutationes fieri in phrenitide, quando vel imaginatio læsa, vel discursus, aut memoria offenditionem patiuntur, idque propterea fieri, quod humores alias alium ipsius cerebri lo-

cum infestent, ed confluentes. Quis negare potest, Galenum non aperte dixisse, hujusmodi operationes fieri in variis cerebri locis, subjungit Mercurialis : Id autem non solum esse intelligendum, de solis ventriculis, sed tota cerebri substantia, per quam spiritus animales diffusi. Potissimum ergo argumentum, quo illi impulsu-
tres illas facultates animales in cerebro velut domicilio residentes, diversis in locis, suas exercere opera-
tiones, subsequens videtur.

Si Anima rationalis omnes suas operationes ederet uno instrumento, hoc est, unicā tantam parte, sequeretur, una facultate lascā, reliquias etiam simul affici, sed contrarium. Experientia ostendit, quamlibet illarum facultatum posse seorsim lədi, modò phantasiam corrumpi, salvā cogitatione, & contra. Hisce præmissis, cum in tantâ, tam insignium Medicorum repugnantia, crīs admodum difficilis, quænam opinio sit præferenda, cum & meam exigas sententiam, eam ob oculos constituam. Si cuncta juxta normam meæ Rationis examino ac probo, mihi videtur verisimilior illorum sententia, qui negant, facultates illas locis disjunctas, sed λόγῳ tantum, non subiecto differentes, afferunt.

Cum Anima sit incorporea ac inorganica, & ejus Essentia immutabilis, & per se suas vires ac facul-
tates, omnibus ex æquo partibus

retur, pro diversitate instrumentorum, ita & in cerebro, pro diversa ejus in temperaturâ & spiritu animalium dispositione, alias edit alias actiones. In homine sano, ubi cerebrum est inculpatum, & justâ rege-
dotatum, si obtigerit id paulò humidius, & exin spiritus animales emer-
gent humidiiores, cum qualis causa-
tale causatum, prævalet phantasia,
cum facilis phantasmatum recipio-
fiat: si cerebrum siccus (intra limi-
tes mediocritatis) & spiritus anima-
les sicciores exoriantur, (cum exor-
ta suorum principiorum Naturam
referant,) tum Ratiocinatio est ve-
getior: nam si spiritus siccus, anima
est prudentior & memoria. Exin
emergit ingens hominum, quoad
phantasiæ & discursum, varietas.
Non quod, si in anteriori tantum
parte cerebrum humidius, imagina-
tio sit eminentior, si in media & po-
sticâ regione, siccus, imaginatio &
memoria præcellant, sed si in toto,
ita dispositum. Etsi fortè (nec id ab-
sonum puto, sed ex effectis palam
esse statuo) præstantia Ingeniorum
(præsupposita Animâ Rationali,) quoad Phantasiæ & discursum, non
tā manifestis qualitatibus, calidæ,
humidæ & siccæ cerebri constitu-
tioni (quæ tamen non totaliter ex-
cludendæ) assignanda videtur: quin
potius causa rejicienda in idiosyn-
crasia, humorum proprietatem, vel
accul-

occultam qualitatem. Cum cernamus eos, quibus obtigit Natura cholericā, aut melancholica (si humor melancholicus calidior, aut cum naturali cholera, certa proportione mixtus) quoad omnes facultates animales, prævalere. Humorū in primis melancholico, vel cum naturali bile temperato, ~~rebus~~, quidpiam divini inesse, relucet ex præcellentia ingeniorum, dum ad omnes artes & scientias, tales Naturæ sint præcærteris habiles. Illud ~~rebus~~ inesse etiam nostrati amico, patescit ex effectis, & divinis mentis operationibus, cum illi obtigerit, quoad ex Physiognomiâ colligendum ac deprehendendum, Natura cholericā melancholica, celestibus igniculis dotata. Quisnam asseverare ausit, tam nobiles operationes tantum exerceti, in media cerebri parte, non autem totius substantiæ. Imò etsi melancholici obvenerit siccior cerebri constitutio, non modò discursu, sed & phantasiam omnes superant, cum phantasmatum varietate exagitentur. Exim Aristoteles, eos πολυνοήτες & πολυφωνίτες somniosos & imaginatos haud inscitè vocat. Ergò non tam temperaturæ manifestæ, causa attribuenda, quam humoris melancholici occultæ qualitatæ. Cum contraria juxta se locata, magis elucescant, præmissa naturali constitutione cerebri, à quâ ejus actiones procedunt: nunc dispicien-

dum, quâ ratione afficiatur à causis non naturalibus, ac morbo, nostro proposito inservientibus.

Siquidem cerebrum præter Naturam afficiatur, præsertim in febribus acutis, à vaporibus molestatum, tum patitur affectum suffusioni oculorum haud absimilem, ubi omnia apparent pallida, crocea vel nigra, pro humorum & vaporum Naturæ ac qualitate, qui oculis obversantur, modo muscas, modo festucas, aut floccos se cernere putantibus. Sic vapores febriiles caput impetentes, modò hujus, modò alterius speciem repræsentant. Haud secus in phrenitidis principio cerebrum afficitur, dum levius ~~ad~~ in ~~in~~ adhuc inferi & humor, qui affluit benignior, ut illius temperiem haud insigniter lœdat, sed ob evaporationum copiam & motum turbulentum, imaginationem magis offendat, ut exterorum sensibilium species haud claram figantur, variis spectris obversantibus: at malo invalecente, dum est in ~~recessu~~, in facto, ubi humores fervidiores, calidiorem ~~decrepitudinem~~ inducunt, cogitatio depravatur, quæ si valdè excedat, omnes actiones tolluntur. An non exemplo Ebriorum idem sat commodè potest declarari. Si complures idem genus vini ingurgitantes, temulentii reddantur, alii ob vaporum benignitatem, suaviterphantasia aberrant, ut sanguinei: alii ob vaporum acrimoniam, furibundi.

exa-

evadunt, ut cholericci. Nemo dixerit, si vini vapores petant anteriorem cerebri partem, phantasiam: sin medium, cogitationem corrupti, cum totum potius cerebrum, istis vaporibus refertum, & tamen in aliis phantasia, in aliis cogitatio magis laborat, pro diversitate temperaturae & qualitate vaporum, quibus totum cerebrum est occupatum. Sic etiam in febribus continuis, vapores expirantes se insinuant & obsident totius cerebri substantiam, & ejus sinus, & tamen in quibusdam Ratiocinatio, in aliis imaginatio, magis afficitur, pro diversitate humorum & vaporum, qui si sint benigniores, ut in sanguineis & phlegmaticis, phantasia affligitur, si calidiores & actiores, ut in cholericis, cogitatio evertitur, & in furem agitur. Exin haud difficulter responderi posse autumno, ad principale illud objectum (quod multorum ingeniosis & eò adegit, ut statuerint, tres facultates animales, sedibus disclusas) quī fiat, quod modò Phantasia, interdum Ratiocinatio lēdatur, si nulla loci affecti esset discrepantia. Sed manum de tabula. Hæc mihi obvenere, quæ pro parte negante, in medium adferrem, si id ad tuum gustum, haud pœniteret laboris suscepisti: si minus, tamen non displicebit animus ad gratificandum benevolus. Suum cuique liberum esto judicium.

EPISTOLA VII.

Ad Dn. D. Johannem Scultetum, Collegam honorandum, ad questionem propositam ex Q. Curtii historiā, de rebus Alexandri M. gestis, cum i.e. in Celicā magno aeris astu, refrigerii gratiā, in cyanum amnē descendisset, exin gravi ac pericoloso morbo conracto, & ipsi à Philippo Medico, posio medicinalis oblata, hinc emerit curiosa dubitatio, qualis illa fuerit, corroborans, vel purgans, quinis Epistolis permutatis, ventilata, & ad varias objectiones ac instantias respondendo, dilueidata.



Pistola tua inopinatō advenit, & insperatam ac curiosam quæstionem protulit, paracæcum quim expertum adorare responsum. Plures quam 50. annī dilapsi, quod Q. Curtii histori-

ca monumenta, perlustrare contigit, exin inter cætera observavi fidem Philippi Medici in Alexandrum, & hujus in illum singularem confidentiam in exhaustandā pōtione medicā oblatā, spretā ac neglectā Parmenonis delatione, prætententis eam sive